

tio pro initio. a studio pro studio. metu id est partibus Reip. pro metu partibus Reip. quarum lectionum quaedam admodum sunt probabiles.

VII. fol. 78. p. 2. ab eadem manu Ejusdem *Bellum Jugurthinum* sequitur, cujus pariter Prooemium cum Edit. *supracit.* contentum in sequentibus ab ea variat: *praestabilius invenies pro invenias. potens pollensque pro pollens potensque. per socordiam pro secordiam. suam quique culpam auctores pro suam quippe culpam auctores. multaue etiam periculosa pro multumque. uti pro mortalibus, quod non fuit in Codd. Havercamp. pro ubi pro mortalibus. iterum socordia torpescere pro secordia. per fraudem is (honus) erat pro jus fuit. delicta eorum (a sec. manu)*

corrigas pro delicta corrigas. libertatem gratificari pro libertatem suam gratificari ex aliis negotiis pro iis negotiis. gloriam majorum adaequaverit pro gloriam adaequaverit. piget pudetque non observatum Havercampio et quod longe frequentius a Scriptoribus conjungi solet, pro piget taedetque. Haec indicasse pro instituto meo sufficiat Codicum mss. Sallustii curiosis. Ad calcem visenda adumbratio sphaerica Mappae geographicae trium Orbis Partium, Asia occupante Hemisphaerium superius, inferiore ad perpendicularum in Europam, Africamque secto, utroque Provinciarum nominibus, Urbium, que figuris consperso, ad Sec. XIII. pertinens, cui manus Sec. XIV. inscripsit:

*Al diu welt mit grunne stet. der darundir muozic get
Muge wol uerwerden (perire) sin ere muoz ersterben.*

CCCCXXXVIII.

U. 26 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 280. f. per duas columnas currente calamo exaratus et rubricis distinctus, sed aevo, situque male habitus Varia continet, quae ordine exponam. I. *Petri Blesensis Galli* e Canonico *Bituricensi* Archidiaconi *Bathoniensis*, tum *Londin.* et Cancellarii *Cantuar.*, Regiique Procancellarii a. 1200. vivis exemti *Epistolas* numero CXXX. quae omnes ex illis CLXXXIII. sunt, quae in edit. *Paris.* 1667. f. leguntur, atque etiam ordine aliquatenus cum his
Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

procedunt. *Solius Epistolae ad Vilhelmum Electum S. Mariae*, quae in editis est 134. in Codice vero 67. fol. 54. aliud initium habet Codex, quod hic adscribo: *Cum bo. me. abbas pbs nomine tributum mortis exsoluerit. testimonio enim prophete fedus cum morte percussimus omnes qui in nobis responsum mortis habemus. Electus es pater carissime a tuis fratribus in abbatem. Sic namque a diebus antiquis ecclesie pro patribus nati sunt filij, et iuxta verbum Dominus suscitavit de filiis prophetarum et juvenibus nazareos. Sic veteribus amicis evanescentibus nove pro-*

pagines ad superiores et dulciores
fructus amicitiae coalescunt. De ve-
stra gloria glorior. quia secundum
nomen magnorum qui sunt in ter-
ra nostra magnificavit Dominus
uobiscum misericordiam suam, si
tamen misericordia est. eleuans al-
listi me. Erat longe securius &c.
Hic Exempla coincidunt. A fol.
100. Epistolis adscriptae sunt Par-
ticulae III. rhythmicae, quas Lib-
rarius itidem pro Epistolis nobis
venditavit, et inscripsit: *Contra
clericos voluptati deditos. Contra
clericos qui consanguineos ditant.
Contra curiales.* Verum nihil sunt
aliud, quam Excerpta e *Cantilena
de Luca carnis et spiritus*, quam
Petrus noster Epistolae ad G. de
Alneto inclusit. Atque haec est
Edit. cit. p. 82. n. 57. Particulae
porro illae incipiunt: *Qui habet
aures audiat &c. In noua fert ani-
mus &c. Quod amicus suggeret
&c.* His accedit in Codice velut
postrema Epistola Instructio Fidei
Catholicae ab *Alexandro III. P.
M.* ad Soldanum *Iconii* missa in-
scripta: *De conuersione Soldani
Iconij*, et incipiens: *Ex literis
tuis et nunciorum tuorum fidei re-
lacione &c.* prout extat Edit. cit.
p. 431. sed scriba noster cum ver-
bis: *infanciam renasceris* — ma-
num removit de tabula.

II. fol. 107. p. 2. *Capitula con-
cordata pro unione sancte matris
Ecclesie. 1407.* Sunt numero XX-
III. quorum I. ita sonat: *Inprimis
quod ambo Domini cum collegijs
suis habeant conuenire personaliter
ad ciuitatem Saouam pro unione
ecclesie sancte exequenda et cum*

dei adiutorio obtinenda. Vides agi
de meditata compositione inter
Benedictum XIII. seu *Petrum de
Luna*, et *Gregorium XII.* seu *An-
gelum Corarium*, quorum ille *Do-
minus Avinionensis*, hic *Dominus
Romanus* audit. Successu caruisse,
tergiversante potissimum *Gregorio*,
notum ex Historiis. *Capitula* no-
stra, quibus omnes *Conventus* le-
ges et cautelae, *distributio Civita-
tis*, *numerus Comitum* pro utra-
que Parte &c. definiuntur, curio-
sa sunt et fortassis *avexdora*. Ita qui-
libet ex *Dominis* introducat in ciui-
tatem ob *seruitia* pro se et curia
sua *centum familiares tantum*, *ca-
merarium* et *duos prothonotarios
et XXV. prelatos* et *XII. docto-
res* et *XII. magistros in theologia*.
Ad calcem additur: *Conclusio hec
1407. infra pascha et pentecostes
wiennam est transmissa.* *Conventus*
autem ad *D. Michaelis* festum ce-
lebrari debuisset.

III. fol. 109. *Symon de Cassya*
super parabolas euangeliorum. Ini-
tium Prologi: *Parabola facilem bo-
lum paratori &c.* Titulus et initi-
um Operis: *Incipit tractatus de
parabola orandi et impetrandi se-
cundum matheum et lucam. Et
quidem prima parabola Domini sal-
uatoris &c.* Frustra esset, qui di-
stinctum hoc Titulo quaereret O-
pus *Simonis Fidati de Cassia* piissi-
mi Sec. XIV. Ord. Erem. S. *Aug.*
Afcetae. Liber *Sextus* est ex XV.
illis, qui vel de *Religione Christia-
na*, vel *super totum Corpus Euan-
geliorum*, vel de *Gestis Christi* in-
scripti feruntur, quorumque extat
Editio f. l. et a. *Basil. 1517. Co-
lon.*

lon. 1533. et 1540. Ratisb. 1733. et finitur: *gaudium praestabit aeternum.*

IV. fol. 163. p. 2. absque ulla inscriptione Particulae *Physicae* III. pessime exaratae, quarum prior ventilat Quaestionem: *Vtrum dispositio embrionis ad marem uel feminam in latere (dextro) uel sinistro consurgat ex caliditate et frigiditate in matrice.* Altera tractat de Generatione in hunc modum: *Embryo generatur ex duobus spermatis in matrice commixtis &c.* Tertia quaerit: *An filius debeat assimilari patri proprio, et si non, que causa diuersitatis? &c.*

V. fol. 167. Homilia in Parabola de Seminante, *Matth. c. 13.* quae incipit: *Dominus ac magister noster christus doctrinam suam more humane discipline plerumque proposuit &c.* et finit: *ad anagogen meritum ad premium gratiam et gloriam quam nobis prestare dignetur &c.* Citatur in ea plus vice simplici *Bernhardus.*

VI. fol. 172. absque inscriptione Differtatio de Infelicitate *Saulis* ad consulendam *Pythonissam* delapsi, cujus initium: *Saul in tyrannum uersus ex principe cum exigentibus culpis esset a domino derelictus &c.* et finis: *Reges israel omnes reprobi extiterunt.* Citatur in ea non semel *Virgilius.* Ad calcem: *Explicit tractatus contra phytones editus per magistrum pollicratum.* Ignorantia Librarii *Pollicratum* hunc genuisse videtur. Audi conjecturam. Nosti *Job. Sarisberiensis Polycraticon.* Libro ejus VIII. sub initium c. 20. haec ha-

entur: *Libellus tamen qui de Exitu Tyrannorum inscriptus est, quid de tyrannis sentiam, plenius poterit aperire.* Scripsit igitur Autor *Polycratici Libellum de Exitu Tyrannorum,* et is in perditis censetur. Differtatio nostra, ut dixi, incipit: *Saul in tyrannum uersus,* et de ejus exitu pertractat. Quid restat, nisi, ut *Magistrum Pollicratum* dicamus *Job. Sarisberiensis,* et egregiam partem *Libelli* ejus de *Exitu Tyrannorum* in Codice nostro seruatam gaudeamus.

VII. fol. 175. sub titulo: *Jeronimus super Psalterium,* brevior *Psalmodum* Expositio paginis omnibus magnam partem humore quondam contracto evanidis. Adscribam quaedam e *Pf. I.* initio: *Abijt stetit sedit. abijt terrenus homo cum per suggestionem recessit a deo. stetit cum delectatus in peccato. sedit cum in sua superbia confirmatus redire non potuit.* Finis *Pf. CL.* *ut in noua ierusalem deo laudes dicere ualeamus.* Post quae *Prologum* adscripsit Librarius, qui incipit: *Canticum psalmodum animam decorat. Inuitat angelos in adiutorium &c.* quae *Augustini* sunt, quo plurimum usus est ignotus Glossator noster. Fallit quippe Titulus, neque enim vel *Breviarium in Psalterium Pseudobionymy,* quod ad calcem *T. VII. Opp.* rejecit *Vallarsius,* ante oculos habemus. *Prologus* porro memoratus ex variis aliorum *Prologis* confarcinatus est, habetque inter alia infertos illos *Verficulos,* qui inter *Damasi* Papae *Carmina* n. XV. partim *Damaso,* partim *Hie-*

Hieronymo recinenti tribuuntur, sed nobis una serie et *Hieronymiani* quidem loco primo decurrunt, partim prorsus evanidi, partim nihilo emendatiores, quam quidem in *Bibl. PP. Lugd. T. XXVII. p. 88.* Ego saltem *Hieronymo* nihil eorum velim impingere.

VIII. fol. 241. *Propositio Richardi archiepiscopi Ardmachani primatis bibernie facta in consistorio* — — videlicet *Avenionensi* coram Papa a. 1357. contra Mendicantes, unde et *Defensorium Curatorum* audit, et saepius editum, et a me *Vol. superiore* relatum, hic vero maximam partem humore deletum. Init: *Nolite iudicare secundum faciem &c.*

IX. fol. 250. Ejusdem *Sermo apud crucem ecclesie sancti pauli london. prima dominica XL. Anno domini M. CCC. LXI. et consecrationis ejusdem archiepiscopi A. X.* Initium: *Nemo vos seducat inanibus verbis &c.* Maximam partem evanidus, sed saepius editus, et *Vol. superiore* a me relatus, unde etiam *Chronologiae* emendatio peti potest. Ad calcem: *Hic terminantur questiones de ordinibus per manus Nicolai nomine christi.*

X. fol. 257. p. 2. *Comentum compendiosum beati Hieronimi presbiteri super Apokalipsim beati Johannis apostoli et evangeliste.* Fumus vendit Compiler hic ignotus brevissimae *Glossae*, quae incipit: *Johannes qui gratia dei interpretatur &c.*

XI. fol. 260. *Constitutio* quaedam Apostolica absque die et consule in favorem Ordinis FF. Minorum, quae incipit: *Exiit qui seminat seminare &c.* et finit: *equitatis non arcet a vetitis, compescat rigor Apostolice ultionis. Amen.* Plurimum deleta situ, et in *Bullario Rom.* non reperta est *Nicolai III. 1278.* in VI. *Decretal. L. V. Tit. 12. c. 3.*

XII. fol. 265. alia manu Fragmentum *Propositionis* ejusdem *Richardi* supra N°. VIII. adlatae ab iis verbis: *In sexto de sepulturis. Animarum periculis et scandalis que frequenter ex hijs proueniunt &c.*

XIII. fol. 269. *Nicolai de Lyra*, ut e calce praeoccupo, *Postilla in Daniele.* Verum tantum a C. XIII. five *Susannae* Historia usque ad finem.

XIV. fol. 274. p. 2. Idem, ut rursus in calce, *super secundum librum Esdre.* Tertium nempe apocryphum: *Et fecit Josias Pascha &c.* Subscriptum ab Autore: *Actum parisiis Anno Domini M. CCC. XXX. XIII. kal. april.* Post quae et librarius nomen suum profitetur: *Per manus Vlrici de Sulzbach.* De *Lirani* Editionibus non semel dictum.

CCCCXXXIX.

Codex chartaceus lat. Sec XV. R. 3022
Folior. 134. f. per duas columnas valde nitide perscriptus, rubricis distinctus, et olim, ut pluribus locis notatum, *Monasterii Sancte Dorothee in Vienna*, aliud Exemplum